



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XVIII. Virga sicca & arida Aaronis Sacerdotis de novo  
reflorescens, typus SS. crucis Dominicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

attentiores fueris contemplatus, in dulcorem vertet. Proinde in omnibus tentationibus, angustiis & tribulationibus, quæ possunt accidere, ad crucem fuge, & non inuenies efficacius remedium, quam hoc dulce lignum, cui tandem pro lemmate inscribo:

*A ligno dulcescit amarum.*



## CONSIDERATIO XVIII.

Virga sicca & arida Aaronis de novo reflorescens typus SS. Crucis Dominicæ.

*Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores. Num. 17. 8.*

I.

**D**E virga Aaronica, quæ alia à virga Moyſis fuit, referunt Sacræ litteræ, quòd licet prorsus sicca & arida fuerit, in tabernaculo tamen fœderis reposita mirè inter omnes alias virgas de novo cœperit florefcere, & post flores sine mora & eodem ferè tempore suos proferre fructus: *Quas cum posuit Moyſes coram Domino in tabernaculo testimonii, sequenti die regressus, inuenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt; Quæ virga, prout censet Abulensis, deinceps nunquam amplius desiccata est, sed semper cum floribus & fructibus virens & intacta permanſit, quia Dei opera perfecta sunt.*

Num. 17. 7.

Hebr. 9. 4.

Isa. 35. 2.

Unde pro memoria tanti prodigii in arca testamenti religiosè asservata est, cui nos pro epigrapha illud Isaïæ Prophetæ inscribimus: *Germinans germinabit.*

Per hanc virgam non immeritò Dominicam crucem intelligimus quæ quidem arida & sicca virga fuit, dum eam Judæi post consummatam Christi passionem profundè in Calvario monte defoderunt, in quo loco longo tempore sepulta fuit; verùm postquam S. Helena Constantini Magni mater & piissima Imperatrix magno labore & studio eam quæsivit, ac denuò inuenit, mox de novo incepit reflorescere, & innumera hæcenus orbi universo conferre beneficia. Testis est

est illa foemina jam morti proxima, quæ ad unicum crucis Dominicæ attractum in monte Golgothæo revixit. Vide de hac re Breviarium 3. May.

2. De hac prodigiosa Dominicæ crucis virga pulcherrimum vaticinium tulit Vates Regius: *Virgam virtutis tua emittet Dominus ex Sion: psal. 109. 2. dominare in medio inimicorum tuorum.* Observa prudens Lector! quemadmodum Reges terræ majestatem ac potentiam suam per auratas ac gemmatas virgas, seu sceptrasua ut plurimum ostentant: Sic Christus per virgam SS. Crucis suæ potentiam suam quàm maximè contra omnes hostes tum visibiles tum invisibiles manifestavit; proinde rectè S. Chrysostomus: *Non aberraveris, inquit, si crucem Domini voces virgam virtutis; hac enim virga mare & terram convertit, & magna potestate com- S. Ch. yfolt. orat. de cruce,* plevit: *cum hac virga Apostoli egressi per universum orbem omnia perferere &c.* Addit S. Chrysostomus, crucem esse coronis splendidiorum, armaturam invictam, murum inexpugnabilem, munimentum inexpugnabile, trophæum contra dæmones, atque gladium contra peccatum. De Mercurio credebant Gentiles, quòd per virgam suam animas ex Orco evocaverit, & Midas Rex omnia virgâ suâ converterit in aurum. Plus Christus, qui per crucem, *virgam virtutis suæ*, animas Patrum eduxit de limbo, animas purgantes ex purgatorio, latronem & peccatores poenitentes transvexit in cælum, atque sic reparavit & implevit ruinas Angelorum.

3. Et sequitur: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Alludit hieremotè Propheta Regius ad triumphatores, qui post obtentam cruentam victoriam in curru regio exaltati ante se suos cernebant hostes devictos, captivos ac catenatos. Ita quoque Christus in ipsa cruce dominabatur in medio inimicorum suorum, videlicet latronum, Scribarum, Phariseorum, Judæorum, Gentilium & aliorum insultantium, in qua & de dæmone ac inferis triumphavit, ac moriens mortem destruxit; Descendens autem ad inferos, dominatus est etiam in medio Patrum antiquorum, quibus exposuit de virga virtutis suæ, per quam orbem domuit universum. Hinc & Angeli, dum cernebant hunc Regem gloriæ portas æternales intrantem, attoniti interrogabant: *Quis est iste Rex gloria?* Et acceperunt divinum responsum: *Dominus virtutum psal. 33. 10. ipse est Rex gloria,* qui per virgam crucis siccam quidem, sed nunc per universam terrarum orbem florentem, omnia restauravit in integrum: proinde rectè cruce exaltatæ pro lemmate inscribes illud S. Augustini: *Non ferro, sed ligno.*

4. Consulamus Constantinum M. primum Christianum Imperatorem, qui orbem non ferro, sed ligno & signo S. Crucis domuit. Alphons Ciaconius de signis S. Crucis.

Cùm hic adhuc esset Gentilis, sole paululum à meridie descedente, in ipsis solaribus radiis, cùm contra Maxentium tyrannum cum exercitu suo præliaturus proficisceretur, signum SS. Crucis manifestis oculis & clara die conspicatus est, legitque hanc consignatum in cælo aëreo inscriptionem: *In hoc signo vinces.* Eventus rei ostentum probavit, nam eadem nocte Christus Dominus, cum hoc signo prius in cælo monstrato ei apparuit, mandavitque, ut quantocyus simile quoddam exemplar effigiaretur, quod tanquam firmissimum præsidium contra omnes hostium insultus adhiberet, in quo & omnes superaret hostes, patriam conservaret, felicissimamque obtineret victoriam. Itaque mox altero die Constantinus SS. Crucis signum, prout in solaribus radiis illud viderat, vice labari Imperatorii substituit, & auro, gemmisque ornatum militibus in castris in unum congregatis proposuit, quam crucem totus mox exercitus genu flexo adoravit, cujus virtute militares Maxentii copiae deletæ, & ipse tyrannus, velut lapis, è ponte Milvio Romæ in profundum Tyberis gurgitem præcipitatus est, nunquam amplius ab ullo mortalium inventus. Quâ partâ victoriâ Constantinus M. victor gloriosus & nunc Christianus Romæ in foro celeberrimo statuatam marmoream sibi erigi curavit, quæ loco sceptri crucem tenuit cum hac subscriptione: *Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio, Civitatem vestram tyrannidis jugo liberavi, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinae amplitudini & splendori restitui.*

5. De Assuero Persarum Rege potentissimo recensent Sacra Pagina, quòd, cùm Esther Reginam vidisset, artium interius ingredientem, & contra edictum regium se vitæ exponentem periculo, nihilominus eam comiter exceperit, dum virgam suam auream, hoc est sceptrum, quod manu gestabat, contra eam extendit, hac extensione suam erga illam significans animi propensionem, gratiam ac clementiam, ut secura, licet contra legem non vocata, ad se posset accedere; & observat ulterius Scriptura, quod Rex hanc virgam suam auream posuerit super collum Esther: *Quæ accedens osculata est summitatem virgæ ejus.*

Esther 5. 2.

Drex-1, in  
Gymnas. Pa-  
tientia,

Psal. 44. 9.

Per hanc virgam Hieremias Drexelius crucem Dominicam subaudit: Felix, inquit, ille Christianus, cui Rex Regum Christus hanc sacratissimam virgam collo imponit, & ad osculandum exhibet, est enim hoc summæ gratiæ signum crucis Dominicæ fieri participem. Osculare humiliter cum Regina Esther hanc mysticam virgam licet collo tuo impositam, quia *virga directionis & virga re. ni.* Neque Dominus aliter in hac terra regnare voluit nisi à ligno, unde Propheta Regius: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit.* Septuaginta addunt: *à ligno,*

à ligno, hoc est à cruce & in cruce: Hinc Ecclesia: *Regnavit à ligno* In hymno de  
 DÈUS. *S. Cruce.*

6. His consideratis considerandis, si non aliud Christi regnum in hoc mundo fuit, quam regnare à cruce, profecto devotus miles non debet sentire tua, cum Regis ac Ducis sui contemplatur vulnera; nam si caput nostrum spinis oneratum, gravissimoque crucis trunco pressum dolet; Quid nos facere oportet, qui membra ejus sumus? Et quid multis? non est alia via in cœlum, quam via regia Sanctæ crucis si ergo discipulis cœlestis esse haeres regni, imitare Ducem & Antesignanum tuum Crucifixum JESUM; proinde rectè Apostolus: *Haeredes Rom. 8. 17. quidem sumus Dei, cohæredes autem Christi.* Sed attende hic mirabilem clausulam, anime mi! *Si tamen compatimur, ut & glorificemur.* Nota hic: *Si tamen compatimur.* Hoc, si salutem tuam amas, tibi applica, & crucem tuam fer patienter.

7. Hanc Considerationem nobis claudat Rudolphus Comes ab *sandus in*  
 Habsburg & primus hujus nominis Imperator. Anno Domini 1273. *Stauroph. lib.*  
 die 12. Octobris Francofordii post multam disceptationem tandem *39. Tit. 13.*  
 unanimi Electorum consensu in Imperatorem electus est ille Rudolphus, vir & sapientiâ & pietate ac animi magnitudine nulli secundus. Qui cum Aquisgrani coronatus esset, & solitum juramentum à Principibus exigeret, virgam, in qua argentea imago Crucifixi fixa erat, arripuit: *Ecce, inquit, signum, in quo salvatus est mundus: hoc loco sceptri utemur,* ad quod insolitum dictum & factum Principes imperii, in proposito nonnihil vacillantes, commoti, Crucifixum humili osculo venerati sunt, & lubenti animo Imperatori recens electo & coronato juramentum fidelitatis supra eandem crucis virgam & SS. Vulnera JESU præstiterunt. In quo signo Rudolphus, quod in bello præferbat Abbas Habsburgensis, & Ottocarum Regem Bohemiæ feliciter superavit, & plures victorias ab inimicis suis ope SS. Crucis reportavit, unde cognomento appellatus est *Victoriosus.* Tanti profuit Rudolpho à virga virtutis & SS. Crucis cœpisse regimen.

